



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VI. Quas condiciones habere debeant obiecta habituum
intellectualium, siue scientiarum habitualium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

prout talis scientiæ de cursu non magis subiicitur, quam prædicatur, v.g. in Metaphysica ens, in Physica corpus vt sic, in Mathematica quantitas, &c. perperam ergo, & incoëquenter à subiecto scientiæ partialis, ad subiectum scientiæ totalis arguitur. Præterea: subiectum scientiæ partialis est duntaxat naturale: quid mirum ergo, si sit id quod in ea suapte natura subiicitur: at superius probatum est, subiectum scientiæ totalis non esse naturale, sed arbitrium: male ergo dicitur esse, quod in ea natura sua subiicitur. Rursus tertio: subiectum scientiæ totalis, vt superius vidimus, debet esse vnum, & distinctum à subiecto cuiusuis alterius scientiæ: collectio autem omnium obiectorum partialium nequit esse quoddam subiectum distinctum omnino à subiecto totali cuiusuis alterius scientiæ, vt nuper ostensum manet. Nec etiã potest esse subiectum vnum, cum potius sit multitudo quædam, & cumulus per accidens. Quod autem ab omnibus subiectis in particulari abstrahatur vna quædam ratio communis, nihil refert: tum quia talis ratio, prout talis, non magis subiicitur, quam prædicatur de cursu totius scientiæ, vt videre est in corpore mobili, v.g. ad Physicam spectante: eius ergo rationis abstractæ vnitas subiectum scientiæ totalis vnum non constituit: tum etiam quia plerique negant, ab omnibus subiectis inadæquatis cuiusuis scientiæ vnam quandam rationem communem abhi posse: namque ens reale, & ens rationis, siue fictitium, sunt subiecta plurium cõclusionum methaphysicæ, cum tamen ab eis iuxta plerique, vt dixi, nulla possit abstrahi ratio communis: quin etiam à Deo, & Angelis, aliisque creaturis, de quibus agit methaphysica, vnam quandam rationem communẽ etiam entis abstrahi posse inficiantur. Hæc autem ratio non militat in scientiæ partialis subiecto, quod est per se vnum. Ad 4. Dicendum est, plures quidem scientias partiales, siue conclusiones scientificas cõstituere, & integrare vnam quãdam scientiam totalem: Hinc autem illud tantum fieri, omnia subiecta partialia constituere vnum subiectum totale prædicationis quidem, non tamen attributionis, quo de loquimur: qui autem vtrumque subiectum totale iuxta æstimaunt, rem adstruunt sponte sua inuersissimam, & prorsusque authoribus, ne dicam omnibus, contrarium, vt superius vidimus.

Nona & postrema neotericorum aliquorum sententia est, relationem attributorum ad subiectum tam in scientiis practicis, quam in speculatiuis solum extrinsecam, & arbitrariam esse contendit. Hæc tamen sententia quoad priorem eius partem omnino est falsa, & quoad posteriorem aliquatenus vera; vt ex huius tractatus initio constat.



TRACTATUS VI.

Quas alias conditiones Habere debeant obiecta habituum intellectuum siue scientiarum habitualium.

CAPVT I.

An obiectum scientiæ habitualis esse debeat necessarium, æternumque.



OBIECTVM scientiæ, siue quod perinde habitus, actusque certi, & euidentis debere esse

se necessarium, nec posse esse contingens, aut corruptibile tuentur Arist. lib. 1. Post. c. 7. & 5. Ethic. c. 3. atque cum eo antiqui, & nuper eius allecla. Item Academici Pirthonij in eadem fuisse sententia, cum ob id potissime scientias rerum omnium de medio sustulerint, quod cunctas fluere putarint, ac nullius esse stabilitatis. Heraclitus, & Cratylus rerum saltem sensibilem, & sublunarem eadem de causa scientiam negarunt. quamobrem necesse est, vt obiectum scientiæ necessarium esse supposuerint.

Probatur autem hæc sententia. Obiectum scientiæ cuiusuis est connexio prædicatorum essentialiũ, vt cum dicitur hominem esse animal rationale, equum esse animal hinnibile, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, Deum esse ens à se Angelum esse substantiam spiritualemente completam, &c. aut existentialium, & accidentariorum, vt cum dicitur in hyeme esse pluias, in æstate calores, aquam esse frigidam per se, & seorsim ab incurfu, ac violentia agentis contrarij; ignem è diuerso esse similiter calidum, &c. At huiusmodi connexiones, sunt necessariae, vt est luce clarius, ergo & necessaria sunt obiecta scientiarum.

Probatur secundo: Si obiectum actus certi, & euidentis esset contingens, posset ita non esse: ergo posset actui eum representanti subesse falsum: proinde non esset scientia, non certitudo, & euidentia, virtusue vlla intellectualis, sed potius opinio, quam inter intellectus virtutes non commemorat Aristoteles. Nec valet, si respondeas, posse obiectum scientiæ merito suæ contingentie non esse, sed in sensu diuiso scientiæ, non vero composito, propterea, quod illa sit essentialiter alligata, vt si existat, ita se habeat eius obiectum, sicut per eam exprimitur: haud, inquam, hoc valet: nam si scientia est determinata, vt representet quod est in obiecto, ac proinde hoc variato, ipsam mutari, ac non esse opus est, cur è contrario obiectum scientiæ non possit esse necessarium, & essentialiter, aut saltem natura sua destinatum, vt sit re ipsa sicut per scientiam adstruitur.

Oppones tamen primo, scientiam esse de aqua, aere, & ceteris elementis; item de homine, equo, leone, lapide, & aliis corporibus mixtis: vtraque autem esse necessitatis expertia, & contingentie obnoxia, vt ipso sensu, & experientia dilucet. Respondet Arist. scientiam esse de prædictis rebus, non in singulari sumptis, sed in specie, species autem illarum haud corrumpi, vel interire, solaque indiuidua esse interitui, & corruptioni subiecta. Cæterum, & veritati, & Orthodoxæ fidei parum consonat, totas species haud posse à Deo non produci, productæve non posse destrui per potentiam eius, saltem absolutam: quod si sermo sit de potentia eius ordinaria, ac legibus naturæ adstricta, ita quidem species rerum esse incorruptibiles, & quodammodo necessarias, est satis exploratum: Quocirca Aristotelica solutio quamuis priori intellecta sensu sit improbabilis, at posteriori, suam habet verisimilitudinem, ac probabilitatem. Secundo responderi potest, obiectum potissimum scientiæ esse non terminos simplices, quippe quos magis apprehendendo simpliciter, aut sentiendo interius, exteriusve cognoscimus, quam perfecte affirmando scimus, sed potius connexiones rerum: At elementa, & mixta omnia sub lunæ cauo contenta, quamquam sint simpliciter, & incomplexè sumpta corruptioni obuia, secus tamen quoad eorum complexiones siue conuenientias, vt paulo supra ostensum.

Oppones secundo; diuinam scientiam esse non paucarum

pancarum rerum contingentium, & quæ nobis sunt obscura, à Deo luculenter, & clare, & quæ in se sunt incertæ, & fallibiles, ab illo infallibiliter, ac certo intelligi. Item actum quo ego intuitiue cognosco Petrum, v. g. currere, quamuis eius cursus sit contingens, esse nihilominus certum, & euidenter: Ac denique actum fidei supernaturalis, quo credo verbum esse factum hominem, summa prædictionum esse certitudine: & tamen contingentia obnoxium esse, tum eius obiectum materiale, videlicet incarnationem Verbi quæ simpliciter potuit non esse, tum etiam obiectum formale, scilicet reuelationem diuinam, quæ etiam potuit non esse, aut si mysterium, quod reuelat non fuisset, aut si illud voluisset Deus nobis occulere.

6 Respondeo, sermonem in presenti non esse de certitudine, & euidencia diuinæ scientiæ, sed de humanæ propriæ, non etiâ de intuitiua nostra, sed de abstractiua, cuiusmodi est Metaph. v. g. Philosophia, Dialectica, Ethica, Geometria, Astrologia, &c. non demum de certitudine supernaturali diuinam æmulante quodammodo, eique innixa, sed de naturali quapropter parum, aut potius nihil obesse nostræ assertioni, quod sint contingentia, & non necessaria obiecta quædam actuum intellectus diuini, intuitionum nostrarum, ac fidei supernaturalis.

7 Quo tradita hæc doctrina sit numeris omnibus absoluta, illud breuiter discutiendum est, quousque sit necessaria connexio terminorum nostris passim scientiis aduersa, earumque materies? De ea per quam prædicata essentialia neuntur inuicem, non potest esse ambiguum, quin sit necessaria in ordine ad potentiam Dei absolutam: Haud enim Deus potest vllatenus mutare rerum essentias, aut facere, vt homo, v. g. absolute non sit animal rationale. Nec eius non sum, Heruæum quod lib. 1. q. 10. & alios quosdam in ea esse sentientia, vt putent etiam naturaliter hominem posse non esse absolute animal rationale: ad id enim, inquiunt necessarium est vt homo existat: tam ergo naturaliter impediri potest præfata connexio, quam ne homo sit existens aut in rerum lucem à Deo productus: verum supra lib. 2. huius operis præf. 1. latè ostensum est, à nobis, essentia rerum esse necessarias, & æternas quatenus tales: at hominis essentia est esse absolute animal rationale: hoc ergo est necessarium, & ab existentia omni, & productione contingentia minime pendulum. Deinde res eodem redit; nam iuxta Heruæum, & sequaces, obiectum scientiæ, ac propositionis æternum verè haud est, hominem absolute, esse animal rationale, sed posse illud esse, vel certe, si quid sit homo, aut quandiu si homo esse: animal rationale: atqui has connexiones modales Deus ipse nequit vllatenus impedire.

8 Quod spectat connexionem proprietatum cum subiectis Capreolus in 1. dist. 3. quæst. 3. art. 2. ad 9. contra 1. conclusionem, Soncinas 8. metaph. quæst. 1. ad 4. Caietanus, & alij quidam Thomistæ similiter de ea disputant, atque de conuenientia prædicatorum essentialium, aiuntque, vt hanc, ita illam esse ineluctabilem, etiam potentia Dei, quem vocant absolutam: nec cum quantus est, quamque potens, vlla ratione efficere posse, vt anima, verbi gratia, existat sine suis potentiis, intellectu scilicet, & voluntate, licet à se realiter distinctis, aut vlla alia essentia sine proprietatibus suis, quatenus sunt tales. Verum præterquam quod hoc commentum nullo veri colore, nullo argumento probabili adstruant, facile refelli possunt ex Eucharistiæ mysterio hunc in modum: Maior est dependentia à priori, quam

à posteriori: At Deus supernaturaliter conseruat quantitatem, ac reliqua accidentia Eucharistica, sine panis substantia, à qua dependent à priori, quidni ergo à fortiori conseruare possit substantiam panis sine quantitate, & accidentibus reliquis, à quibus tantum à posteriori est dependens. Quæ autem panis, eadem est cuiusvis alterius essentia in ordine ad suas proprietates ratio.

9 Contrà vero Cordubensis lib. 3. quæstionarij q. 11. Okamus quod lib. 4. quæst. 37. Gabrielin. 4. dist. 1. q. 1. & alij nominales arbitrantur, connexionem essentia, ac proprietatum non tantum non esse essentialiam, sed ne intrinsecam, & per se, sed potius omnino extrinsecam, ac Deo arbitriariam. Posset enim inquiri, Deus facere, vt proprietates naturalis aquæ non esset frigiditas, sed potius calor, & non hic, sed illa ignis: vtque nec essent hyeme ex natura rei pluuiæ, nec æstate torridi, flagrantisque soles: ac denique, vt.

Mollis apes studium inquant, nidosque columbe.

Coningium turtur, prædam lupus, arbuta capra.

Petrarcha

Necnon alia id genus, nimirum si non quem modo, sed alium rebus præstitisset ordinem, quando eas initio condidit.

10 Nihil tamen dici potest in verisimilius, nedicam inficitus. Missis autem aliis nationibus, quibus aduersus hos auctores vtuntur victoria in relectione de homicidio, & nostri Conimbricenses lib. 1. posteriorum cap. 7. quæst. 1. art. 3. ita eos ipse impugno. Vel potuit Deus facere, vt hominis non esset proprietates naturalis sentire, & discurre sed potius hinnire, seu rugire, vel non, si secundum, institutum habeo, ordoque ille naturalis subiecti ad has proprietates magis, quam ad illas, haud est omnino extrinsecus, & arbitriarius, sed intrinsecus, & per se, si primum, certe Deo integrum fuit initio rerum essentia variare: siquidem definitio, & essentia hominis est, quod sit animal rationale, hoc est suapte natura sentitium, ac discursuum: si ergo naturalem ad hoc accidentia relationem ei potuit Deus adimere, sane & rationem hominis illi auferre, eumque deprimere in belluam irrationalem: Pari ratione sequeretur, equum, seu leonem, v. g. potuisse Deo id disponente esse naturaliter hominem. Consequens autem est, vel de aduersariorum sententia falsum, & absurdum. Quin etiam fiet, nisi fallor ex opposito dogmate, hominem modo esse simul equum, ac leonem, & hos hominem: vt enim aliquod suppositum sit homo, requiritur, vt in hoc rerum ordine à Deo præstituto possit discurre, ac simul sentire, vt cernere est in eo, qui semper fuit amens ac rationis, sui; impos: satis ergo est, vt in alio atqui in alio iuxta aduersarios poterit equus, & leo discurre, & accommodare ad discurrendum sentire, idque naturaliter: modo ergo alteruter est homo: quo argumenti genere è conuerso colligi potest, hominem esse modo belluam irrationalem. Videant aduersarij an id de seipsis concedere velint.

11 Præterea secundo eos ita impugno. Vnio hypostatica cum verbo non est connaturalis humanitati Christi Domini, sed potius respectu eius supernaturalis, & miraculosa: atqui non est supra ordinem rerum à Deo nunc præfinitum, & constitutum, sed ei cōsentanea: vt ergo aliquid sit connaturale, haud satis est, Deum id præstituisse ab æterno, sed potius est prædicatum essentialia, ac prorsus intrinsecum: adeoque nequit Deus facere, vt aliqua proprietas sit, vel non sit connaturalis tali essentia. Argumetor tertio.

Non

Non potest Deus facere, vt calor, v.g. sit naturaliter composibilis cum frigore in intenso gradu: ergo neque, vt aqua sit connaturalis caliditas: consequentia est perspicua, si quid vspiam valet aequitas rationis: antecedens est vsque adeo manifestum, vt ne aduersarios id credam inficiaturos. Et quidē alioqui cogentur admittēre fieri posse, aut certē potuissē, vt homo sit naturaliter in duobus locis circūscriptiue, imo infinitis; vt materia prima duas habeat formas substantiales non subordinatas, v.g. humanā, & equinā, & quod plus est, ceteras omnes, quæ à Deo conditæ sunt, vel etiam potuere condi; & cum his sexcenta id genus portenta, quæ concedi ecquid aliud est, quam figmentorum omnium asylum aperiri.

12. Media ergo sententia Conimbricensium, Suarez, & nostrorum communiter authorum est, connexionem subiecti, & proprietatem strictè talium esse necessariam in ordine ad potentiam Dei ordinariam, & legibus naturæ adstrictam, non vero respectu potentiae eius extraordinariæ, & absolutæ: vel paulo aliter eam connexionem esse, partim intrinsecam, & essentialē, & partim extrinsecam, ac Deo arbitrariam: completitur enim duo, nimirum quod exigar essentia hanc proprietatem, & non aliam; aqua, v.g. frigiditatem, & quod ea actu illi, si semel existat, inest: quoad prius autem certum est, connexionē illā esse essentialē, cū exigentia innata more elicitæ, rei, cui conuenit haud accidat: quoad posterius vero non minus exploratū est, illā esse dependentem ab arbitrio creatoris, ei que subditam, cum possit miraculose non stare rerum, quas molitus est, inclinationibus innatis.

13. Porro id solum in hac opinione difficultatem ingerit, quo pacto possit esse scientia, aut certitudo, ac euidencia de connexionibus huiusmodi non omnino essentialibus: hoc enim ipso, quod tales non sint, sed quadamtenus mutabiles, videtur cadere posse, saltē diuinitus error, & falsitas in scientiam. Caietanum, Capreolū, & Sconcinatem supra citatos hæc difficultas nō vrget, nec ad eos vllatenus pertinet. Nominalibus maris, quam nobis negotium facessit, nec video, quid ab illis ei possit responderi. Conimbricenses, & alij nostræ sententiæ patroni dicunt, propositiones, in quibus absolute demonstrantur proprietates quarto modo de subiectis, haud esse in toto rigore scientificas, vtque tales sint, opus esse, vt moderationem hanc, iuxta cursum naturæ debitum, aliamve similem formaliter includant; ita autē sumptas adeo necessario esse veras, vt diuinitus non possit eis subesse falsum: quamuis enim possit Deus miraculose, facere, vt absolute non sint, v.g. in hyeme pluuia vllæ, vtve aqua sibi relicta, & procul ab omni contrario non sit frigida, vt octo, haud tamen, vt aliquid horum iuxta cursum naturæ debitum eueniat.

14. Verum ita valde angusti erunt scientiarum fines; pauca namque in eis sunt propositiones, quæ non sint absolute, pauca, quæ prædicta vtantur restrictione, vt eas cunctas animo lustranti constabit. Deinde ad scientiam, sin minus metaph. at saltem physicē certam, & euidentem non est necesse, vt ne diuinitus possit ei subesse falsum, sed satis, superque, est, vt nequeat naturaliter, iuxta dicta superius lib. 7. tract. 6. c. 4. ita autem sunt infallibiles propositiones, in quibus absolute affirmantur proprietates de subiectis suis: quidni ergo sint in toto rigore scientificæ. Atque hinc respondeo ad præcipuam difficultatem, de conuenientiis, & connexionibus non omnino essentialibus, sed ex parte variabilibus esse non posse certitudinem, & euidenciam metaphysicam, ac summam; at posse esse physicam, & aliquanto minorem, adeoque scientiam veram & rigorosam.

Aboluenda superest altera pars questionis in titulo capituli præfixæ. Quamobrem assero obiectum scientiæ, siue certitudinis, & euidentiæ nostræ esse debere perpetuum, ac æternum. suaderetur, ac perquam facile ex dictis. Nam obiectum principale, & completum scientiæ nostræ est conuenientia prædicatorum essentialium, aut connexio naturalis proprietatum cum subiectis suis alterutra autem est æterna. De priori haud potest esse dubium, quomodo enim fieri potest; vt quæ nunquam non esse potest etiam diuinitus, ea non sit semper; atque ita de illa sentiunt præter alios plerisque Patres Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. Septem autem, & tria decem sunt, & non solum nunc, sed etiam semper: Neque vllō modo aliquando septem, & tria non fuerunt de cem, aut aliquando septem, & tria non erunt decem. Necnon Anselmus dialog. de veritate c. 14. non ideo est rectitudo in significatione, quia tunc incipit esse cum significatur esse, quod est, vel non esse, quod non est: sed, quia significatio tunc fit secundum rectitudinem, quæ semper est, nec ob hoc abest à significatione quia perit, cum non sicut debet, aut cum nulla sit significatio, sed quoniam tunc significatio deficit à non deficiente rectitudine. De posteriori conuenientia, siue connexione magis ambigi potest. Haud enim apparet æternum quid pluuias esse in hyeme, ardores in æstare, aquam esse actu frigidam, & ignem calidum. quin porius hæc omnia videntur cum tempore incipere, eoque mensurari.

15. Respondeo; hæc, & similia quoad exigentiam essentialē, quam paulo supra diximus in eis importari, esse æterna more ceterarum omnium denominationum essentialium, quamuis quoad actualem existentiam prædicatorum in subiectis temporaliter inchoent. Secundo etiam dici potest, ea esse æterna extrinsece, & in mente diuina, idque necessitate quadam naturali; cum tamen connexiones contingentes vt naturaliter possunt non esse in tempore, ita & ex natura rei, ac secluso omni miraculo potuerint æternæ non esse in intellectu creatoris.

CAPVT II.

An obiectum scientiæ habitualis esse debeat vniuersale.

17. Esse debere existimo: Atque ita etiam opinantur Aristoteles citato lib. 1. Poster. cap. 7. & omnes Peripatetici, tum antiqui, tum etiam recentiores: Necnon Plato, & eius sectatores: quorum non pauci ob id statuunt, ideas esse naturas vniuersales à parte rei, & in essendo, vt de iis sint scientiæ, quæ non possunt esse de rebus singularibus: Et, vt semel dicam, ita sentiunt concordē opinionē omnes Philosophi, cuiusuis sint sectæ, ac nationis. Porro haud omnes eodem modo probant institutum,

18. Aureolus apud Capreolum q. 1. prolog. art. 2. Basilis q. 5. art. 3. Greg. q. 1. art. 4. conclus. 1. Philop. & Themistius hanc eius sententiæ excusant rationem, obiectum scilicet scientiæ certæ, & euidentiæ esse connexiones necessarias, & perpetuas, singularia autem, & eorum prædicata haud connecti necessario, æternū; nihil mirum ergo esse, si non sit de eis scientia, ac proinde esse debeat de vniuersalibus solis. Contra tamen sic arguo: haud magis essentialē est homini, quod sit animal rationale, quam Petro v.g. imò id vtrique ex æquo essentialiter conuenit, iuxta vulgare effatum dici de omni, cuius sensus est, quod est

est essentialia rationi communi esse etiam essentialia cuius inferiori contento sub illo: tam ergo necessarium, & perpetuum est, quod Petrus sit animal rationale, quam quod cuiusmodi sit homo. Secundo aliqui Thomistae respondent, singularia haud esse in intellectu, sed in sensu, solaque adeo vniuersalia esse in intellectu, & cadere sub scientiam. Cæterum potentiam intellectiuam abstrahere species à phantasmatis, non tantum rerum vniuersalium, sed etiam singularium, nec minus has, quam illas distinctè cognoscere, & spontè sua est manifestum, & à nobis ostensum supra libro septimo tractatu secundo capite primo aduersus Capreolum, & quosdam alios Thomistarum: quibus certè in re præfenti obstitunt Suarez in libris de anima, & plerique Doctores.

19 Quocirca prædictam sententiam hunc in modum probo: quod est obiectum certitudinis, & euidentiæ nostræ, siue facultatis alicuius earum quas discimus, ac docemus, id necesse est cadere sub diuisionem, definitionem, ac demonstrationem: at his non subiiciuntur indiuidua: haud ergo illa, sed potius vniuersalia nostrarum sunt obiecta scientiarum: maior videtur per se conspicua: minor suadetur: nam cum indiuidua sint infinita, non potest in primis commode in ea fieri diuisio: quo spectat illud Damasceni in Dialect. capite secundo, *homo autem in omnes homines non diuiditur, quia infiniti sunt numero: propterea autem, diuisionem non rectè dicam, quæ sit à specie in indiuidua, sed enumerationem.*

20 Confirmatur, & declaratur: diuisio scientifica, & apta debet fieri in pauca membra diuidentia, non vero in plurima: quid ergo fieri potest in indiuidua, quorum non est numerus, aut finis? id autem, ut alios prætermittam luculenter tradit Ioannes Damascenus loco nuper citato in hæc verba: *omnis diuisio à genere in species facta sit in duo, vel tria; raro autem quatuor attingit: impossibile est enim diuidi genus in quinque species, & supra.* Idem colligere est ex Platone in Ciuili, ubi hæc habentur: *cæterum haud satis, amice tutum est ad extremum, nimisque tenuiter, omnia prosequi: præstat autem per media prosequi partiendo: sic enim facilius, meliusque ideas inuenimus: quanquam autem huiusmodi verba non sint Socratis, qui personam Platonis gerit; at tanquam ex eius dictis collecta proferuntur, & ab ipso approbantur paulo postmodum. Consentit Seneca epist. 89. ad initium; diuidi enim illam (videlicet philosophiam) non concidi, vtile est: nam comprehendere, quemadmodum maxima, ita minima difficile est. Describitur in tribus populus, in centurias exercitus: quidquid in maius creuit, facilius agnoscitur, si discessit in partes, quas, ut dixi, innumerabiles esse, & paruas non oportet: idem enim habet vitij nimia, quod nulla diuisio simile confuso est quidquid vsque in puluerem sectum est. Deinde eadem epist. 89. propè eius medium sic ait: in duas partes diuiditur (supple oratio) in verba, & significationes, id est in res, quæ dicuntur, & vocabula, quibus dicuntur: ingens deinde sequitur vtriusque diuisio: itaque hoc loco finem faciam, & summa sequar fastigia rerum, alioquin si voluero facere partium partes, questionum liber fier. In eadem sententia est Fabius lib. 4. oratoriarum institut. cap. 5. ad finem euitanda, inquiens, ut quæ maxime concisa, nimium, & velut artiosa partitio: nam, & auctoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec iam membra, sed frustra: & huius gloria cupidi, quo subtilius, & copiosius diuissse videantur, & supernacua assumunt, & quæ natura*

singularia sunt, secant: nec tam plura faciunt, quam minora, &c.

Infinitus propè essem, si vellem omnium aucthorum referre atque laudare testimonia, quæ huic meæ sententiæ fauent; placet iam confirmationem hancce meam rationibus iterum corroborare.

21 Diuisio scientifica postulat, ut adæquata sit diuisio, adeo ut totum in suas omnes partes diuidatur, & nulla sit pars in toto, quæ huic diuisioni non subiaceat; cum enim diuisio eo fine instituta sit, ut totum distinctissimè appareat, certè si esset aliqua pars adhuc in toto, in quam non fuisset facta diuisio, adhuc distinctius totum posset apparere, videlicet si ea pars quæ later adhuc in toto, per diuisionem in conspectum veniret: vnde diuisio corporis legitima debet fieri in omnia sua membra, alioquin si vel vnum membrum in diuisione non sit expressum, manca erit hæc diuisio, & corpus quasi mancum & truncatum videbitur; sed non potest fieri diuisio illius totius quod sub se continet infinitas partes; cum enim de ratione infiniti sit, ut nullis limitibus nullis terminis possit contineri, & quibusvis partibus assignatis adhuc supersint aliaæ atque alia in infinitum assignanda; ergo nunquam per diuisionem poterunt omnes partes infiniti assignari, quin aliaæ & aliaæ adhuc supersint assignanda; & in quas infinitum possit diuidi; atqui indiuidua sunt infinita, adeo ut quibusvis assignatis & sub diuisionem cadentibus, alia atque alia supersint, quæ adhuc sub eadem indiuiduorum diuisionem cadere possunt, non enim tot assignabis, quin alia assignanda supersint; ergo indiuidua sub diuisionem scientificam cadere non possunt, ergo non possunt esse obiectum scientiæ habitualis, quæ postulat ut eius obiectum possit diuidi ut distinctissimè secundum omnes suas partes appareat.

23 Quoad definitionem facilius est ostendere atque adeo breuius, indiuidua non posse cadere sub definitionem: illud enim non potest definiiri, cuius non potest dari verum genus & vera differentia, siquidem omnis definitio constat genere & differentia, utpote quæ exponat euidenter naturam rei, quæ ut habet aliquid commune cum aliis, habet etiam aliquid singulare, quo discriminatur ab omnibus aliis; sed non potest dari differentia cuiusvis indiuidui, quæ ab omnibus aliis distinguatur; etenim quid innotescit nobis in indiuiduis nisi aliqua accidentia per quæ aliud ab alio distinguimus, & adhuc illa eadem accidentia reperiuntur in diuersis adeo ut vix possimus aliquando discrimen ponere inter aliquos homines qui tum secundum lineamenta oris, atque totius corporis habitum exteriorem, tum secundum vocis organum, incedendi modum & reliquorum accidentium speciem ita similes sunt, ut iidem omnino esse videantur; ergo indiuidua non possunt definiiri à nobis cum non constent differentia à nobis cognita, per quam discriminentur; quia cuiusque indiuidui hæcceitas ignota nobis est.

24 Quoad demonstrationem certam videri primò nō posse dari de indiuiduo demonstrationē à priori, quandoquidē ab essentia & definitione ducitur, quæ dari non potest de indiuiduo, ut iam supra ostendi; tum etiam, quia demonstratio debet constare principiis certis, æternis & inuariabilibus, ut in logica docetur; at in indiuiduis nihil tale videtur, cum mutationibus sint obnoxia & temporanea: deinde quod non detur demonstratio indiuidui alicuius

alicuius, quæ de eo possit, debeatque fieri, hunc in modum suadet. Aut de Petro, v.g. demonstratur esse animal rationale, esse admiratum, esse risibile, &c. & cum hæc prædicata communia non conueniant magis ipsi, quam cuius alteri homini, haud est, quod ea propter instituantur scientia de illo, & non potius de homine, vt sic, quod aiunt: quamobrem, etsi subiiciatur Petrus demonstrationi, non tamen scientificæ, & doctrinali: aut de eo demonstratur, quod sit hoc animal rationale, hoc admiratum, hoc risibile, &c. & cum hæcceitas addita ex parte huiusmodi prædicatorum non explicet clarius Petrum penes rationes communes, quas contrahit, vt per se dilucet, nec etiam quoad eius singularitatem, ac differentiam numericam eo, quod hanc semper confusè, ac nunquam clarius, quam antea cognoscamus, non est certè, quod harum demonstrationum singularibus constantium terminis habeatur in scientiis ac facultatibus ratio: proinde non est, cur hoc etiam ex capite Petrus, vllumve aliud indiuiduum sit obiectum alicuius doctrinæ, cadatve sub demonstrationem, saltem scientificam.

25 Obiicies tamen primò de Deo esse Theologiam, & Metaphysicam ex parte, quamuis non ex toto: Deus autem est summè singularis, & nequaquam vniuersalis: perperam ergo constitutum est à nobis obiectum scientiæ oportere esse vniuersale. Confirmabis argumentum: Deus haud cadit sub diuisionem, vel definitionem: non sub illam, quia cum sit indiuiduus, & singularis non habet inferiora, in quæ possit diuidi, non sub hanc, quia cum sit infinitus, quæ finiri à nobis potest: nullo ergo iure paulò supra indiuidua reiciamus à scientiis, propterea quod non cadant sub diuisionem, aut definitionem.

26 Respondeo sermonem nobis esse, non de scientia diuina, sed de humana, aliarumque rerum à Deo creatarum, aut creabilium: vnde argumentum factum nullam nobis facessere difficultatem. Eius autem confirmatio haud habet plus ponderis: nam Deus sub diuisionem cadit, non quæ ipsum diuidat in inferiora; atque rationem aliquam superiorem in eum, & aliud dispescat, hoc pacto ens, vel est à se, vel ab alio, aut ens aliud est infinitum, aliud finitum: quod autem Deus sit infinitus reipsa, non tollit, quominus finiatur intentionaliter, & extrinsecè ab intellectu nostro eum per genus, & differentiam explicante, atque his duobus terminis omnes eius perfectiones cohibente. Ita quod sit reipsa simplex, & indiuisibilis haud obest, quominus intellectus in plures eum discindat formalitates.

27 Obiicies secundò, Astrologiam, quæ haud dubiè est scientia, eaque nobilissima esse de his numero syderibus, tum fixis, tum etiam errantibus, videlicet sole, luna, venere, arcturo, &c. item de his numero cælis, nimirum stellato, glaciali, ac primo mobili, & aliis: ergo, &c. Respondeo, in primis hoc argumento id tantum conuinci, scientiam esse interdum de indiuiduis, non vero quod ea non sit, vt plurimum de vniuersalibus: quæ etiam solutio potest, ac debet adhiberi argumento superiori.

28 Secundò respondeo, sensum assertionis nostræ esse, quoties obiectum est reipsa multiplex, haud obici vlli penes indiuidua, in quæ funditur, sed potius penes rationem communem ab omnibus abstractam: idque iure merito: cum enim non possimus, quæ sunt mentium nostrarum angustia, singula distinctè scire, totamque eorum collectionem completi, nec sit posterior ratio, ob quam de vniuersis, quam de aliis instituat scientia, æquum est, vt de nullis sit, sed potius de sola ratione vniuersali ab eis abstracta, & cunctis communis. Hoc autem non est negare, scientiam esse aliquam.

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

do de singularibus, sed potius adstruere esse de illis, quoties non multiplicantur infrà eandem speciem. Quocirca, quod obiicitur de indiuiduis Astrologiæ subiectis, necnon quod paulò antè de Deo, non faciunt aduersus doctrinam nostram rectè intellectam.

29 Ex his constat, ita scientiam non esse de singularibus vno sensu, vt alio, alioque superius explicato eis incumbat: necnon etiam, quia Petrus, v.g. (par autem est ratio cuiusvis alterius indiuidui) etiam si non cadat propt talis sub definitionem, diuisionem, aut demonstrationem scientificam, ac certè iis subiicitur, quatenus est homo, & penes rationem hanc communem, aliasque plures in se imbibitas, & intimè clausas.

C A P V T III.

Obiectum scientiæ habitualis quoad ceteras explanatur conditiones.

30 Dicendum est primò, obiectum earum adæquatè sumptarum, siue quod perinde est, cuiusvis scientiæ totalis esse debere ens reale. Ita communiter scholastici, præsertim vero Auerfa quæst. 26. Logica sect. 4. §. ex his dicendum. Ac facili negotio suadet. Namque Metaphysica, Physica, Geometria, Astrologia, Medicina, & ceteræ scientiæ reales haud dubiè circa ens reale occupantur, vt singulas consideranti clarebit. Idem etiam visere est in Ethica, Rhetorica, & aliis facultatibus practicis: & quod attinet ad Logicam, de qua sola potest esse dubium, non ens rationis, sed reale ei subiici probatum est à nobis tom. 1. philosoph. lib. 2. tract. 1. & 2.

31 Rursus idipsum probatur ex Aristotele lib. 4. met. cap. 1. vbi sic ait: *Et scientia quadam, quæ contemplatur ens, quæ ratione est ens, & ea, quæ huic per se insunt. Hac autem nulla est earum, quæ in parte dicuntur. Nulla enim ceterarum de ente, quatenus ens est, vniuersè agit, sed partem eius aliquam singula abscindentes id, quod ei accidit in illa contemplantur, vt Mathematica scientia.* Quali censcat ens reale vt sit subiectum, siue obiectum præcipuum metaphysicæ, & entia particularia ceterarum facultatum particularium.

32 Dicendum est secundò: quamuis obiectum scientiæ totalis, siue ad quod tota ea refertur, cuius attribuitur, esse oporteat ens reale; ac eius attributa esse posse non entia. Ita in Dialectica de ente rationis disputatur, an ad eam velut subiectum pertineat: in metaphysica, quænam sit essentia, qua gaudet, & per quam enti reali opponitur: ibidem etiam de negatione, & priuatione, & quæ sit vtriusque quidditas: in Theologia etiam discipatur de variis negationibus, quales sunt, quæ constituunt indiuisiōem, siue vnitatem diuinam, & iuxta nonnullos malitiam peccati, & alios id genus conceptus. Quis autem non videat, entia rationis commentitia, & priuationes, ac negationes esse non entia positivè, aut saltem præcisiuè? Confirmatur: id potest sub scientiam aliquo modo cadere, de quo aliquid demonstrari, certove, & euidenter cognosci valet: eiusmodi autem esse non entia, est luce clarius. Atque iuxta hanc secundam assertionem intelligendus est Fonseca lib. 6. metaph. cap. 1. quæst. 1. sect. 6.

33 Dicendum est tertio cum Auerfa loco nuper citato, obiectum scientiæ, certitudinis, & euidentie totalis haud debere esse substantiam, sed multoties esse

T t accidens.

accidens. Etenim Logica discuit actus intellectus, eorumque veritatem formalem, ethica actus moraliter bonos, medicina sanitatem, Mathematica quantitatem continuam, Arithmetica quantitatem discretam. Hæc autem obiecta, ut aliis superfedeam, sunt accidentia, & non substantia. Ratio autem à priori est: quia etiam accidenti non minus, quam substantia conuenit, ut possit diuidi in inferiora, ut eius natura per definitionem explicetur, ut denique eius de eo passionibus per suam demonstrantur essentiam, & è conuerso.

34 Quod autem ait Aristoteles 6. metaphys. capite 2. scientiam non esse de accidentibus, id intelligendum est, non quasi entia in alio, & minime substantialia, de quibus solis quaestio, excludat à scientiis, sed ita, ut loquatur de solis euentis fortuitis, & qui contingenter accidunt: hoc autem haud est adstruere, obiectum scientiæ debere esse substantiam, sed oportere esse necessarium. Deinde quod 7. metaph. text. 18. tradit, definitionem haud esse nisi substantiæ, non obstat. Præterquam enim, quod sciri possunt res aliter, quam per definitionem, id est per diuisionem, ac demonstrationem, certè substantia loco nobis obiecto accipitur transcendentaliter, & prout est idem, atque essentia, & quidditas: hac autem ratione non opponitur accidenti, nec cadit in præsentem quaestionem, ad eamve magis facit, quam vinum in Cereris sacris.

35 Dicendum est quartò aduersus aliquos, quos tacitis nominibus refert, ac refellit Auerſa ubi supra §. tertio dixerunt euidentiæ, ac certitudinis scientiæ obiectum haud oportere esse creatum, sed potiùs creatorem sub eas cadere. Id constat ex Theologia, quæ quia est de Deo, ita nuncupatur: id etiam liquet ex Metaphysica, quæ bona sui parte est de Deo, ut lumine naturæ cognoscibili. Qui contra sentiunt eo vtuntur argumento, quod scientia sit cognitio rei per causam, Deus autem sit prima causa, & independens ab omni alia. Verum præterquam, quod scientia, & certitudo, ac euidentiæ eius propria hic latius sumatur, nec tantum pro ea, quæ est à priori, siue per causam, sed pro illa etiam, quæ est à posteriori, aut per quoduis aliud medium, imò etiam pro ea, quæ est omnino immediata, & per definitionem, aut diuisionem seorsim ab omni argumentatione habita; id statuendum est multa cognosci de Deo per causam, si minus realiter, at saltem virtualiter, ac ratione talem: quo pacto ex illius essentia, quæ est esse ens à se, eius infinitas, & aliæ proprietates de eo demonstrantur à priori: quinetiam eodem modo vna eius attributa ex aliis inferuntur, ac de eo concluduntur, ut v. g. ex immutabilitate, quod sit æternus, & ex eius intellectu perfectissimo, quod sit voluntate præditus.

36 Quintò dicendum est cum Scoto in 1. distinct. 3. quaest. 1. aduersus Caietanum capite 10. de nominum analogia, & alios Thomistas obiectum scientiæ, siue certitudinis, & euidentiæ totalis, id est ad quod ea tota refertur, & attribuitur si sit terminus communis, semper esse vniuocum, ac nunquam analogum. Nam si quod esset analogia præditum, maxime ens in communi, quo de agitur, veluti subiecto in Meta-

physica: at quod illud non sit analogum, sed potiùs vniuocum, colligere est ex dictis supra lib. 5. huius operis tract. 2.

37 Sextò denique dicendum est cum Fonseca 4. met. cap. 1. quaest. 1. lect. 3. & 6. metaphys. cap. 2. quaest. 1. Caietano tom. 3. opusc. tract. 4. Suesiano 6. metaphys. disp. 5. & aliis multis, certitudinem, & euidentiæ scientiæ esse posse de ente per accidens, vel per aggregationem: tum quia huiusmodi ens suas habere potest passionibus, quæ de illo à priori possunt demonstrari: tum etiam, quia Dialectica considerat veritatem formalem actuum intellectus ex his, & obiectis, vel sapè, vel semper per accidens coalescentem, Ethica actuum voluntatis bonitatem moralem, eis haud raro extrinsecam, & ex multarum circumstantiarum cumulo resultantem, Arithmetica numerum, Musica numerum sonorum, perspectiua quantitatem visualem, Politica rem publicam, Militaris exercitum, Architectura ædificium.

38 Enimvero Socrinas præcisè docet, haud posse dari de ente per accidens scientiam, siue euidentiæ, aut certitudinem vllius facultatis propriam: Auerſa supra citatus ait, scientiam, saltem perfectè vnā de tali ente haud reperiri. Pro quorum sententia obijciens Aristotelem variis eam in locis insinuare. Ceterum responderi debet iis locis philosophum intelligere nomine entium per accidens, quæ excludit à scientia solos euentus contingentes, & fortuitos. Obijciens secundo; ens per accidens haud posse definiri. Verum super id, quod possit res aliter, quam per definitionem sciri, longè probabilius est, aggregatum per accidens strictè posse definiri, ac per genus, & differentiam explicari, ut ex professio à nobis demonstratum est in Dialect. lib. 9. tract. 3. cap. 1. ubi etiam testimonio Aristotelis, ac B. Thomæ, aliisque argumentis in contrarium adductis factum est satis, & cumulatè.

39 Obijciens tertio; scientiæ vnitatem desumi ex obiecto: hoc ergo si sit per accidens, & imperfectè vnum, quò contra poterit illa esse per se, & perfectè vna: ut ergo talis sit, ens per se vnum necesse est sibi præstituat. Verum in primis scientiam totalem esse vnā per accidens tract. 3. huius libri ostensum est: quorsum ergo in eius obiecto maior requiratur vnitatis? Rursus secundo: fac eam esse vnā per se: certè non propterea debet eius obiectum ita esse vnum. Namque illa est iuxta aduersarios vna à parte rei, & eius obiectum vnum per intellectum sapissimè, & non tam singulare, quam vniuersale. Deinde, quod hinc sequitur, illa secundum contrarios est vna per se, & eius obiectum est vnum quid per accidens, si minus quoad partes, actuales, ut exercitus, aut domus, at quoad potentiales, & subiectiuas, quas per intellectum, & extrinsecè tantum vnitatis inuoluit, ut ens in communi, quod prout complectens omnia entia discuit Metaphysica, & ens mobile, quod prout cohibens omnia motui, ac mutationi subiecta Physici negotij est. Haud ergo requiritur in obiecto scientiæ perfectè, & per se vnus (ut hanc ei proprietatem disputandi gratia permittamus) tanta vnitatis, quanta est in ipsa scientia, adeoque non, ut eius more sit per se vnum.